

Q. F. F. Q. S.  
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

12  
**DE EO** 1702, 6  
**QVOD JUSTUM EST**  
**CIRCA EXCEPTIONES CON-**  
**TRA PROMISSIONEM JURATAM,**

R. 48  
QVAM  
DIVIMA AUXILIANTE GRATIA  
IN ILLUSTRI OMNIUM SCIENTIARUM  
UNIVERSITATE ERLURTENSIS  
AUTORITATE & CONSENSU  
INCLYTI JURECONSULTORUM ORDINIS

PRO LICENTIA,

*Summos in Utroque Jure Honores & Privilegia.*

*Doctoralia ritè capessendi,*

SUB PRÆSIDIO

*Prenobilis, Consultissimi ac Excellentissimi,  
DOMINI*

**JOHANNIS PHILIPPI**  
**Streit / JCI.**

PER ANTIQVÆ HUJUS UNIVERSITATIS RECTO-  
RIS MAGNIFICI, ELECTORAL. REGIMINIS CON-  
SILIARII, nec non FACULTATIS JURIDICÆ

h. t. DECANI, &c &c.


Eruditis publicè examinandam sicutet

**Samuel Richter / Vrat: Siles: Pract: Jurat:**  
AUTHOR & RESPONDENS

Ad diem 19. Octobr. A. O. R. 1702.

ERFORDIÆ, Typis GROSCIANIS, Acad. Typogr.







I. N. D. N. J. C.

THESIS I.

**D**E intricata non minus quam ardua Moralitatis Exceptionum contra promissionem juratam materia disserturis variæ quidem occurrabant Methodi, JCtis in pertractandis rebus familiares. Aliquando enim à simplicioribus & facilioribus ut in §. 3. *J. de Legat.* aliquando à vetustioribus, ut in §. 11. *J. de R. D. S. i. de Testam:* aliquando à dignioribus, ut in §. f. *J. de J. N. G. & C.* aliquando ab universitate ad res singulares, ut in *L. i. pr. ff. de R. V.* aliquando à singularis rebus ad universitates, ut in §. f. *J. per quas person: cuique acquir. & L. i. pr. ff. ad SC. Trebell.* aliquando ab eis, quod est in solidum, ad id, quod non est in solidum procedunt, ut in *L. i. pr. ff. de Pecul.* Nulla tamen aptior videbatur, quam generalia specialioribus præmittens Methodus. Præmissis namque ejusmodi generalioribus demonstrandi principiis, iisdemque velut fundamentis dispositis, de specialioribus omnibus numeris examinando, confirmando, & defendendo apte inquirere, copiose invenire, majoriq; certitudine judicare possumus: cum argumentum à genere ad speciem non probabile modo, sed etiam necessarium. Nicol. Everhard, loc. leg. 6. pr.

A

TH.

Exceptionum autem nostrarum vera ac immota principia inquirentes ; unde aestimari posit, quod bonæ malæ sint, unde hæc bonitas & malitia moralis suam habeat originem, quam agnoscant regulam aut normam, secundum quam opponenda, & de earundem moralitate judicium veritati consentaneum sit instituendum, variae admodum, si scriptores de moralitate Actionum in genere evolvimus, imò penè infinitæ de iis extant opiniones, adeò, ut si omnes & singulas longo ordine recensere vellemus, rationesque præcipuas, quibus earam qualibet est suffulta, in medianam adducere, dubium non sit, quin multis alienis nosmet sine causa simus implicituri.

Paucissimis proinde tantum attingere lubet, quod aliqui proborum exempla, vel Dd. judicium tantæ reputent authoritatis , ut in eo securè acquiescere possit Exceptionum contra promissionem juratam Moralitas, & eas omnes, quæ à bono quodam Viro, Interpretæ, consulente aut decidente quodam oppositæ, aut approbatæ constant, ab ipsis quoque rectè oppositas esse, aut opponi posse contendant , quam doctrinam PROBABILITATIS vocant Jesuitæ, & ita describit Ludovicus Montaltius in Litteris provincialibus , Epist: ad Lecl: Licere cuigae eam opinionem tutæ conscientia sequi, quam quatuor, vel tres, vel duo, vel unus etiam gravis Doctor tradiderit ; itemque consultum de aliqua re Doctorem posse respondere juxta probabilem aliorum sententiam, quamvis ipse Doctor ejusmodi sententiam speculative falsam esse certo sibi persuadeat, ut ait Laymannus Jesuita : adeoque cum ex utraque sententia consilium dare possit, prudenter facturum si eam in consilio

*filio dando eligat, qua consulentis favorabilior seu exoptatior sit &c.* Quo spectat quod in *Lucubrationibus Vaticanis Libr. 2. Tit. 1. n. 55.* scribit Franciscus Cardinalis Mantica: *Doctoribus Juris Pontificij, in iis quae pertinent ad moralem Philosophiam, magis credendum esse, quam Theologis.*

## TH. IV.

Ast tacemus, multos ad superstitionem usque divini Numinis metu timidos, sive ut Imperiator noster eos describit *L. 21. C. de Fid. Instrum.* qui sibili numinis divini reverentia tenti, & veri quidem Sacramenti præstationem extremè abhorrent *L. 8. p. ff. de condit. Instit.* Qualis fuit Clinias Pythagoricus, qui damnum trium talentorum pati maluit, quam juramentum, quod verum fuisset præstare, referente Tholoss. *Synth. L. 50. c. 3.* Quo cum convenire videntur adhuc Russi, qui Teste Adamo Oleario *in Jein. Pers. L. 3. c. 20.* ex juramento præstito omnes in distinc<sup>t</sup>e, sive verum juraverint, sive fallum, notant infamia, & propterea Jusjurandum æquè ac ipsum perjurium evitandum autumant. Tales olim erant Essæi teste Josepho *de Eello Judæic.* *L. 2. c. 7.* quamvis enim hi primo in Sectam suam ingressu juraverint, ut videre est apud Eusebium *de prepar. Evang. L. 9. c. 1.* tamen deinceps per omnem vitam, quæcunque se causa offerret, non minus à Jure jurando abstinentum esse opinabantur, quam à perjurio, & esse jam tum mendacij condemnatum, cui sine Deo non credatur. Negabant etiam Manichæi juramenta licita, quos fecuti Monachi & religiosi quidam Franciscani, fratres Minores dicti, *c. 51. X. de Testibus.* Negant & Anabaptistæ, per versè & contumaciter negantes verba Christi Salvatoris apud *Mattb. 5. vers. 37.* & ex eo Jacobi Apostoli *in Epis. la sua cap. ult. vers. 11.* Ne jurate omnino sed sermo vester sit: *Est, est, non, non, quod autem abundanter est, à malo est*

Circa quos obiter notandum, quod Christus d. I. non universaliter & simpliciter prohibeat, *omnino non* jurare sed tantum secundum quid, *non omnino* jurare, hoc est, non temerarie & quavis levi de causa, aut quolibet modo: adeoque ista particula *Ne*, non accipienda illimitate aut de actione ipsa, sed restrictive & de Actionis objecto. Id quod vel ex ipsa negativa signo universali affirmativo praeposta *non omnis*, quæ et quipollat particulari, *quidam non*, inter cœtera appareat. *Conf. Eccles. Cap. 10. vers. 12. &c. non est, sum seqq. c. 22. que est. i. c. 26. X. de Jurej.* Prava namque quorundam hominum temeritas, nil fere absque jurata fide affirmantium, jam salvatoris tempore eò processerat, ut jocosa etiam male assuetis juramentorum formulis vestire non erubesceret, malitiam scil. oris & moris, elegantiā sermonis arbitrans, ut videmus, quod adhuc hodie puerorum quoque lusus & consortia jurisjurandi religioni temerarie insultent. Talis consuetudinis vitium salvatori hoc effatum extortis, quo jurandi levitatem apud Judæos constringit, ea itaque assertio non omnium juramentorum præstationem interdixit, sed tantum certos abusus abrogare, & depravatas diuinæ legis corruptelas à Judæis introductas reprehendit.

Quinimodo præscripta ab ipso Deo jurandi formula *Lev. 19. vers. 12. Deuteronom. 6. vers. 13. c. 10. vers. 20. Servies Deo Domino tuo, & per nomen ejus jurabis.* Et Deum per semetipsum & vitam suam *Genes. 22. vers. 16. n. 14. vers. 21. Deuter. 32. vers. 40. Ezech. 33. vers. 1. per Animam suam Jerem. 51. vers. 14. Amos. c. 6. vers. 8. per suam sanctitatem jurasse*, constat ex *Psalm. 89. v. 36. Amos. 4. vers. 2.*

*Mattb.*

*Mattb. 8. versi. 10. Cap. 18. versi. 3. Job. 3. versi. 5. Paul: ad  
Hebr. 6. versi. 13.* Accedit Exemplum Salvatoris, quem aliquoties jurasse ex sacris probatur, præprimis ex *Marc. 3.  
vers. 28.* nec non Angelorum, *Apocal. 10. versi. 5. & 6.* Patriarcharum *Genes. 14. vers. 22.* Apostolorum *Rom. 1. versi. 9.  
2. Cor. 1. versi. 23.* Et illa uxor, quæ alium præter maritum suum admittit, eleganter à Salomonie *Proverb. 2. versi. 17.* dicitur, deserere ducem iuventutis suæ, & immemor esse pacti Dei sui, ubi per *pactum Dei* foedus illud inter coniuges advocato Dei nomine intelligit. Adeoque suo modo ad cultum & venerationem Dei pertinentjuramenta, quantum infallibilem veritatem & justitiam ejus per juramentum constemur & testamur. *vid. Jerem. 4. vers. 2. Jurasibis: Vivit Dominus in veritate in iudicio & justitia. Add.  
d. 2. Cor. 1. vers. 23. Ib. Testem Deum invoco.* Nec non inter reconciliationis cum Deo remedia recensentur. Quis enim habitabit in tabernaculis Dei? Qui ea, quæ iuravit, servat, inquit David *Psalm. 15. vers. 4.* Præmiaque legitimè jurantium & falsijuriorum poenæ in sacris & prophaniis abunde notantur, cotidianaque adhuc experientia comprobantur. Unde tanta Veteres nomen Dei habuere veneratione ut subinde ingeminaverint, os prius ablendum ei, qui nomen Dei assumferit. Georg. *Königin Miscell. Cas. Conf. Cap. 5. p. 109.* A qua Veneratione cum Dæmones abhorreant nunquam jurasse leguntur in sacra Scriptura.

TH. VII.

Nec attingimus, quod dubium cuique oriri poslit: An contrajuratam promisionem plane excipere liceat? Cum nec possit, nec debat negari, sanctissimam omnino esse debere fidem juratam, cum juramentum arctissimum rei

## § 6.

sacræ vinculu audiat, & pignus, per quod cum Deo contractum censetur, frenum injicere dicatur animæ, expressumque & speciale demonstrare consensum, atque secundum Dionys. Halicarnas. Lib. 6. Antiqu. Rom. ultima fides intra homines, tum Gracos tum Barbaros, quam nulla delebit etas, sit ea, qua per jurata pacta sponsores adhibet Deos. Conf. Grot. de J. B. & P. libr. 1. cap. 13. §. 1. Pufend. de J. N. & G. lib. 4. Cap. 7. Sanderson de obligat. Juram. Prelect. 1. §. 6. adeoque suo modo ad venerationem & cultum Dei pertineat, quatenus infallibilem veritatem & justitiam ejus per juramentum confitemur & testamur. Addat Jerem. 4. vers. 2. Jurabis : Vivit Dominus in veritate in Judicio & in Justitia, 2. Corinth. 1. vers. 23. Testem Deum invoco. Ejusmodi Exceptionibus autem videtur honor numinis & cultus divini estimatio vilescere, sanctaque doctrinæ Autoritas minui ac contemni fieri inter alios, cum involvant quandam illusionem clem. unic. X. de Renunc. iniuriam. L. 11. C. de rebus cred. improbitatem L. 14. ita explicante Godofredo ibid. num. 5. C. de Testam. & vitium abominabile, Lambert. de Jure Patron. P. 2. L. 2. quasi. pralim. 7. art. 1. n. 7. quippe ab ipso Deo probabile, Exod. 20. v. 7. Matib. 5. vers. 33. Psalm. 15. vers. 4. & vel. tot Exemplis Israëlitarum rejectæ Jos. c. 9. §. 18. & 19. Cap. 2. pertot. & Cap. 6. vers. 22. 23. Laudat inde Cicero Libr. 3. Off. Regulum, quem nec Patriæ, nec suorum amor retinere potuit, quo minus sive hosti jurata data ad eudelissima poenarum supplicia rediret : & Pomponium Tribunum, qui servaverat id, quod terrore etiam coactus juraverat, nam tandem, inquit, temporibus illis iurandum valebat. Quam fidem juratam ejusque observationem Q. Martius apud Liv. Libr. 44. Cap. 1. nec non ipse Livius Libr. 21. Cap. 7. una

una cum Gellio *Liber. 20. cap. 1.* palam inter causas incrementorum Populi Romani dum ex parva origine ad tantam amplitudinem pervenerat, in Saguntinis ponit: *Cæterum, inquiens, in tantas brevi creverunt opes, seu maritimes, seu terrestribus fructibus, seu multitudinis incremento, seu sanctitate discipline, qua fidem socialem usque ad pernitiem suam coluerunt.* Imo & inter reconciliationis cum Deo remedia censemur. *Quis enim habitabit in tabernaculis Dei? quia ea, quæ juravit, servat,* inquit David *& Psalm. 15. vers. 4.*

## TH. VIII.

Quamvis pariter nihil ipsis his Exceptionibus in se spectatis pravitatis esse, nihil quod fidei aut rectæ rationi repugnet, imò omnia eisdem potius favere, vel inde satis clarè elucescat; quod ipsæ divinæ comminationes in infinitum quasi agentes de penitus extirpandis gentibus semper sub tacita illis J<sup>c</sup>tsis solemni clausula: *Rebus sic stantiæ, accipiendæ; ceu Deus ipse hoc modo se declarat apud Jerem. Cap. 18. vers. 7. seq. Gen. 20. v. 3. Exod. 32. vers. 14. 1 Reg. 21. 29. 2. Reg. 20. vers. 1. Esaiæ 38. vers. 1. Jon. 3. v. 5. & II. Addt. Grotius de J. B. & P. L. 2. c. 13 §. 3. n. 3. & promissionem juratam ex superveniente malitia revocat i. Sam. 2. vers. 30. c. non semper 22. quæst. 4. Prout & ipsum mandatum divinum de extirpandis Cananitis conditionatum erat, si sc. arma sumserint contra Israëlitas. Cum ergo reliqui omnes armati restituerint Israëlitis, & illud dicatur factum à Domino, ne gratiam impetrarent Jof. II. vers. 10. præsumitur etiam hanc Gibeonitarum submissionem à Deo factam, ut gratiam impetrarent. Quin imò Gibeonitis ad verum Deum conversis omnino parcendum erat, etiamsi nulla gratia ipsis fuisset promissa. Conf.*

Pn-

Pufendorff. de J. N. & G. L. 4. C. 2. §. 7. & Franzk. Lib. 2.  
Resol. 4. n. 5. & seq. Idem dicendum ad juratam illam  
promissionem, quā exploratores Rahab incolumitatem  
promiserunt. Jos. c. 2. & 6. v. 22. & 23.

TH. IX.

Nec ex alia quam abusus ratione exceptiones nostræ  
Clericis clem. unic. de Renunc. quodammodo prohibitæ  
videtur: ne Ecclesia, quæ iustitiæ cultrix & auxtrix 1. F. 13.  
& à cuius Actibus fraus omnis sollicitè excluditur c. 5. X.  
de Donat. reliktâ, præprimis super promissione tam firmi-  
ter factâ, variandi licentiâ, laqueos cuiquam parare vide-  
atur arg. c. 3. pr. de concess. præb. in 6. c. 42. c. 17. quest. 1.  
Quā enim ratione aliâs & ipse Decalogus temeraria & il-  
licita juramenta prohibet, ne præstentur, eâdem adversa-  
tur illa temerè præstata, ne porrò, quæ mala sunt, obser-  
ventur. Factionem prohibens, multò magis consummatio-  
nem, & in malo commisso perseverantiam odit. Adeo-  
que de re illicita præstitum juramentum servans peccatum  
peccato cumularet, & iram & vindictam divinam bifari-  
am in se derivaret, quam ut præstatione promisi illiciti  
omnipotentis Animadversionem effugiat. Unde quid  
sentiendum de Voto Jephæ Jud. II. vers. 31. facile appa-  
ret, vid. Bald. in Cas. Consc. L. 2. c. 9. cas. 18. Hinc repre-  
henditur Herodes c. unusquisque 22. quest. 8. qui jurisju-  
randi prætextu, quō tamen non obstringebatur, Johannem  
trucidare non verebatur Matth. 14. vers. 14. & laudibus  
evehendus David, c. si aliquid 22. quest. 4. ubi justus, ju-  
risjurandi de tollendo Nabale & extirpanda domo ejus  
transgressor pepercit potius, gratiis Deo peractis, quod per  
Abigailē retractus à pessimo proposito fuerit, 1. Sam.  
25. vers. 22. 23. Add. Grotius de J. B. & P. L. 2. c. 13. §. 6.

TH.

Hoc tantum commemoramus , quod post lapsum .  
 Protoplastorum mens hominum Affectibus nimis plus  
 dedita ad malum & fallacias inclinet , ut haud raro intel-  
 ligamus ea , quæ nudius tertius promiserant homines ,  
 hodie malitiosa negare *Lips. ad Belg. Epistol. 100.* prout jam  
 olim de suo teculo conquestus est *Plautus in Aulul.*

*Heus tu,inquit,nostra etas non multum fidei ge-  
 rit,*

*Tabula notantur,adsunt Testes duodecim.*

*Tempus locumque scribit Altuarius ,*

*Tamen invenitur Rhetor , qui factum negat.*

Et sic etiam multa Consilia in favorem partis , doli ac frau-  
 dis machinandi causa instituta L. 1. pr. junc<sup>t</sup>: §. 21. ff. de dol.  
 mal. vel cum laſione Juris , seu captione alterius , L. II. §.  
 fin. de interr. in Jur. fac. ex sycophantia , seu nimis calli-  
 da & malitiosa promissi interpretatione , ut loquitur  
*Dürr. in Etbic. Inf. Part. 3. Sect. 2. c. 12.* dum sapient illa , quæ  
 clara & recta esse debent , cavilloſis glossematis , minutis  
 anilibus & pueris vix dignis ambagibus deſtruere ſata-  
 gunt . *Liv. L. 5. Hift.* Cujusmodi varia selectiora Exempla  
 exhibet *Petr. Müll. Pref. Dom. Illuſtr. Cap. 9. poſt. 5.* & Joa-  
 chim. à Beuſt. *ad Rubr. de Jurejur. num. 1.* Cum perfidis ,  
 queis nec Ara nec fides , nec ulla firma pactio eſt , atque  
 Ciceronis [ pro Roscio] verbo , ex fraude , fallentiis ,  
 mendaciis conſtarē toti videntur , cauſa nunquam defi-  
 ciat , cur promiſſis non ſtent , ſed ſemper aliquem fraudi  
 ſpeciem Juris imponant , *Liv. Lib. 9. c. 11.* & tunc , cum ma-  
 xime fallunt , id tamen agant , ut viri boni videantur , *Cic.*  
*lib. I. Off.* Atque ſecund: *Plaut. d. l. Act. 4. Scen. 10.*

B

Nullus

*Nullus est tam parvi pretij  
Quin pudeat, quin purget se.*

TH. XI.

Quidam, sapissime de factis alienis judicium nostrum fallitur, ut quænam ex illis imitanda nobis sint, discriminari vix queamus. Insuper in applicatione quoque Exceptionum, quæ ab aliis factæ aut approbatæ, ad eam, quam nos opponere proposuimus, erratur frequentissime, dum circumstantias, quarum mutatione ipsæ quoque mutantur promissiones, vel omissimus planè, vel non omnes tamen, vel easdem, nostris promissis adhibemus. Id enim solenne nobis est maximè, ut affectibus & cupiditatibus nostris nimium indulgentes, pollicitationes aliorum oblique spectemus, & in usum nostrum vertamus, non attentis forma, fine, modò, & circumstantiis, quæ nostro desiderio forte contrariantur. Aut, si omnino alium novimus non fecisse aut approbatæ Exceptionem simpliciter & absque modo & fine legitimo & circumstantiis debitibus, nos tamen omnia illa pervertimus, vel in Exceptione nostra variamus, unde sèpius peccamus id faciendo, quod alter fecit non pecando. Imò, duplicatur quandoque fraudis causa propria culpa quando perperam eos, quorum Judicium sequi cupimus, pios prudentesque judicamus. Illorum enim plerumque volumus arbitrio duci, quos eandem scimus amare viam, quam desideramus ipsi. Nec alienæ Autoritatis estimatio ex alio fonte promanat, quam ex perduto isto nimio sui Amore, & dum quisque suæ studet utilitati gloriae & laudi, ex hac estimat omnes, adeoque eos, quos suis putat favere desideriis, admiratur.

TH. XII.

¶ 11. ¶

TH. XII.

Novis ipsis moralistis hodie usitata methodo tam facile succurritur conscientiis, ut alacrius nunc eluantur crimina quam committantur, ac non immiserito congregatio Cardinalium ad expurgationem librorum depuratorum in eos animadverterit, & quosdam eorum libros prohibuerit: Prout Autor Libelli Gallici pro causa Jansenistica apud *Gisbert. Voct. Part. 3. Diff. Theol. p. 49.* refert.

TH. XIII.

Melius sibi consulere videntur, qui objectum potius primam & maximam Actionibus bonitatem largiri ex communi inter omnes opinione contendunt. Cum autem Exceptiones nostræ ratione sui objecti materiales sint indifferentes, à fine extrinseco, quem capropter objectum formale aliqui appellant, necessariò sunt restringendæ. Solam tamen finis bonitatem, intentionem vero boni finis moralitatem Exceptionum nostrarum non constitutere, vel exinde manifestum est, quod fieri poscit, ut finis sit optimus, non autem capropter calumniosè contra promissionem juratam excipiendum. Sicut enim ex veris principiis (ceteris paribus) non potest inferri falsa conclusio, ita nec ex intentione bona electio turpis, teste Apostolo *Rom. II. ver. 8.*

TH. XIV.

Quod facilimè concedet, qui naturam mali & boni perpenderit. Malum non debet eligi, nec ordinari potest ad finem bonum, nec ex se quisquam boni producere aptum est. Nemo certè quod opinamur eligibile dicet esse malum ex sua natura, & quâ tale, quia quicquid eligibile, illud est etiam appetibile, nihil verò appetitur, nisi sub ratione boni. Sic omnino etiam malo ex ipsius

B 2

natura



natura repugnat ordinari posse ad finem bonum; (nisi per omnipotentiam fortè divinam) si enim ad bonum esset ordinabile, experti quoque deberet: quippe non fertur duntaxat appetitus in finem ab agente propositum; sed & in illa, quæ fini isti obtainenda videntur inservitura. Multo verò minus fieri potest, ut id, quod natura malum est, ex se bonum producat Effectum. Tenebræ non possunt ex se producere lucem, nec arbor mala fructus ferre potest se meliores. Imò, si cuivis ex intentione bona quidvis facere liceret, quæ non foret omnium rerum confusio, nec in hominum societate quicquam foret tutum, & ab iniuriis liberum.

## TH. XV.

Dicitur hæc ratio excipiendi Moralistis supra commemoratis Methodus dirigendæ intentionis, tam impia profecto, ut nullum tam enorme committi possit flagitium, quod non excusari per illam & tantum non in genere licitorum haberi queat. Hæc ratione inquit Montalcius Epist. 7. cœdes, percusiones ac cœteras defendendi honoris vias, imo pravissimas quascunque exceptiones, licitas effecerunt. Nihil enim aliud opus est, quam ut animus abstrahatur à cupiditate vindictæ, vel in nostro casu ab intentione perjurij, & ad tuendi honoris vitæ, aut bonorum voluntatē conferatur. Alterum enim nefandum, alterum virtù caret. Sic DEO simul & hominibus satisfaciunt. Actus ipsos experti homines, intentionem DEUS, ergo hominibus actus, DEO intentionem concedunt. Alia exempla addit. Wilhelm. Wendrockius in Not. ubi simul artem bene dirigendi explicat: *Bona intentione*, inquit, *illius qui propter aliam sibi inflatum hominem interimit, est voluntas dandi signa excellentia* Et existimationis apud sullig. 2. olearii mense Octobr. 152. inde sequitur homines mutua

bomines captande. Bona intentio viri nobilis, qui contumeliosam sibi pomum eripere molientem interficit, est voluntas retinendi pomi & servandi honoris, quem in pomo servando constituit. Bona intentio Viri militaris, qui ad duellum provocanti se sisit, est voluntas cavandi ne existimetur ab exercitu gallina & non Vir. Si te concupiscentia non necessitas ad edendum exstinxeret, huic parere poteris, sed qua intentione? ut appetitus suis actibus fruatur. Ab alio ad aliud beneficium transfilire vis? Non improbat Svararez modo transeatur tangquam ad pingvius. Ornatum corporis sumtuosum optat malier? licet, ob finem non malum, veluti ob naturalem fastu inclinationem. Famulos, qui turpibus nuncis funguntur, absolvit posse, docet Baunius, si hoc bona intentione faciant: sed qua? propter temporalem inquit commoditatem &c. quæ omnia ipsissimis Jesuitarum verbis confirmat.

## TH. XVI.

Neque finis etiam, licet junctus cum objecto ad moralitatem exceptionum nostrarum sufficit; sed reliquarum quoque circumstantiarum habenda est ratio, cum non tantum ex essentia, sed ex Accidentalibus, uti aliarum rerum & Actuum moralium, ita quoque Exceptionum nostrarum bonitas aut justitia sit dijudicanda, quippe ad quam se circumstantiae habent ut accidentia. Circumstantiae quippe etiam minimæ specificant factum L. I. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sicar. L. 15. ff. de paenit., & uti Grotius loquitur de J. B. & P. L. 2. C. 13. §. 1. variant materiam & formam, de quibus agitur, solent habere interjectum aliquod ea latitudine, ut modo adhuc modo ad illud extremum propius accedatur. Ita enim inter id, quod fieri oportet, & inter id, quod fieri nefas est, medium est, quod licet: sed mo-

B 3

do

de huic modo isti parti propinquius, unde ambiguitas se. pè incidit, ut in crepusculo, aut in aqua frigida calestante. Addat: Ziegler p. 500. Hinc multum in circumstantiis si- tum esse docet Aris: Ethic: Lib. 2. cap. 6. illud demum pro optimo habens, quod omnino se habet, quando, in qui- bus, & in quos decet, cujusq; rei causa, & quomodo æquum est: cum aliquid in se, & legitimis adhibitis circumstantijs possit esse optinam, quod vel unica mutata circumstan- tia sit pessimum.

## TH. XVII.

Nec juramentum immutat naturam & substantiam promissionis, cui accedit, ut v. gr. promissum conditio- natum adjecto jurejurando fiat absolutum; sicut nec Actus speciem transformat, ut, quod donatio fuit, apposito juramento contractus onerosus evadat, & viceversa. Ne- que in latiori significatu, quo à nobis accipitur, promissio jurata novam semper obligationem Deo principaliter quæsitam producit, sed inferendo sepius juramentum confirmatoriū, obligationi in se validæ, velut accessorium tan- tummodo vinculum supervenit adeoq; tacitas conditiones & limitationes ex ipsa rei natura ritè fluentes non exclu- dit, sed & que in hac materia ac in alijs tam adversæ partis quærelas, quam reorum defensiones admittit justitia, atq; ex æquō suum cuique tribuit officium, secus enim non justitia, sed summa emerget iniquitas, siveq; conde- mnaretur, qui forte absolwendus fuisset. Incidunt quippe sepius tempora, quæ ea, quæ maximè videntur digna ju- stō homine ac fido, commutari, fierique contraria svadent secundum Senecam L. 4. de Benefic. cap. 35. Et 39. ubi hic ipse sapiens stocius monet, ad omnia cum Exceptione ven- turum si nihil incidet, quod impedit. Sapiens enim utram-

utramque fortunæ partem cogitat. Scit, quantum liceat errori, quam incerta sint humana, quam multa consilia obstant, quām sepe fieri possit, ut, quæ pertinent ad veritatem, & ad fidem, ea negare interdum, & non præstare, vel ob deficientem conditionem, vel intervenientem compensationem, vel aliam causam. Addat: Grot: d. L. 2. C. II. § 6. & 7. L. 3. C. 19. §. 14. cum seq. & Lips. Manuduct. ad filio. Pbilof. L. 3. diff. 8.

## TH. XVIII.

Non semper itaque respiciendum quid in quaque promissionis specie in genere pro Jure observetur, verum etiam qualem in ea pro rerum circumstantiis unumquodque Jus requirat, aut admittat moderationem; fieri siquidem potest, ut si quis pertinaciter non habita ratione circumstantiarum alicui juramento insitiat, gravius peccet juramentum observando; quām si id neglexisset; tum, quod temeritatis vel malitiæ culpam in Juramento temere, vel de rebus illicitis præstito contractam in eodem per promissorum adimplectionem observando, alia sàpè nova contaminet; tum, quod prior admissa, sub prætextu erroris, ignorantia, vel dolii excusando, quandoque levior redi, & agendo poenitentiam corrigi; posterior verò in proposito male suscepto persistens contumaciæ insuper non raro argui poscit. Ut locum hic obtineat illud Isidori: *In malis promisis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum: quod incaute votisti, ne facias.* Impia enim promissio, quæ scelere adimpleteur, c. *in malis* 22. qus. 4. Et tolerabilius habetur stultæ promissionis Vota rejicere, quam per inutilium promissorum custodiam exhorrendam Criminum adimplere mensuram, c. *Si publicis* ibid.

cum



cum temeritatis emendatio nullam inferat prævaricatio-  
nem, c. 17. c. 22. quest. 4.

TH. XIX.

Ex qua ratione Advocatus , qui defensinem cause  
usque ad finem litis juramento promisit, in progressu au-  
tem ejus iniquitatem animadvertisit, durante adhuc pro-  
cessu licet recedit , secundum *Recess. Imperij de an-*  
*no 1654. s. über dieses verordnet/ non minus ut Vasal-*  
*lus Domino manifesto injustum bellum suscipienti servire*  
*non tenetur, cum ad delinquendum invitandus non sit, ut*  
*alieni sceleris minister existat, ne juramentum fidelita-*  
*in vinculum convertatur iniquitatis, 2. Feud. 7. ibi: Et, si*  
*scivero te velle aliquem justè offendere, 2. Feud. 28. pr.*  
Quapropter de præstatione Capitis Johannis Baptista He-  
rodiadi privignæ suæ ex concessa optione petendi ab Hero-  
de facta , inter alios bene monet Sauderson *de obligat:*  
*Juram: Prælect. 3. Sect. 16. Esto hoc nobis Exemplum in Caute-*  
*lam, ut meminerimus Juramentum sic indefinite prolatum,*  
*cum sua justa exceptione tamen semper esse intelligendum.*  
*Qui enim aliquid indefinite roganti promittit, antequam*  
*noverit, quid iste sit petiturus , præsupponit alterum pe-*  
*titurum honesta , moraliter possibilia, non aliis, aut sibi*  
*perniciosa. Quæ melius longe observavit quidam Ethni-*  
*cus, nomine Hippolitus, quem noverat suæ juramento*  
*promittere oportebat se omnia facturum esse, quæcunq;*  
*ea postulasset; hac verò juratione facta, petiit, ut privi-*  
*gnus cum ea libidinem exerceat, cui tum Hippolitus præ-*  
*denter respondit.*

*Jurata lingua est, mente juravi nihil.*

*Quo spectant, quæ de Cydippe refert Grot. L. 2. c. 13. §. 2. ex*  
*Ovid.* Quæ

¶ 17. ¶

*Qua jurat mens eſt, nil conjuravimus illa.  
Conſilium prudensq; Animi ſententia jurat,  
Et niſi iudicij vincula, nulla valere,  
Sed, ſi nil dedimus, preter ſine pectore votum,  
Verba ſuis fruſtrā viribus orba tenes. &c.*

TH. XX.

Omnium optimè principia Exceptionum nostrarum ex convenientia cum Lege derivari posse videntur, non quidem prout *latissimè* usurpatur Lex, pro ordine quō tota rerum universitas ab ejus conditore, conservatore & principio activo regitur, quique etiam res inanimatas concernit. Quō ſenu eandem accipit Cicero *Libr. 2. de LL.* Lex eſt aeternum quoddam quod univerſum mundum regit, imperandi prohibendique sapientia. Atque ſic *Proverb. 8. & Job. 38.* abyſſo & aqua marinae lex quam non transgrediantur, poſita eſſe dicitur, ut hinc omne id, quod homo, brutum, planta, metallum, naturaliter edunt actionis complectatur: hāc lege canis latret veſeratus, planta atrahat quod ſibi conveniens eſt, expellat contra, quod eſt noxiū, aurum roboret cor, magnes trahat ferrum. Pertinent huc ſimulacra rationis, ſenſus interni & externi, habitus corporis, & omnia illa, quae non ſunt ipsius voluntatis, & moralis cuiusdam aptitudinis, qui conſtituit in regula æqui & boni, qua deſtituuntur omnes illæ actiones quae in hac lege naturæ terminantur, licet cum voluntate magnam habeant cognitionem, atque ſimul necessario inferant ſubefſe aliquod Naturæ agens liberum, quod pulcherrimo huic ordinī & optatis hiſce finium eventibus ſiguram ſuam veluti ſculperit, momenta appendere, exercitum diſpoſuerit; haud ſecus atque in horologio; licet iſum aliter moveri, quam rotarum ſtructura ponderum-

C

que

que gravitas permittit, nequeat, illa tamen horum mordinta & exquisita significatio prodit ingenium atque artificis deliberationem.

## TH. XXI.

Nec angustissimè hic accipienda pro LL. tantum XII. Tabb. quæ est significatio *narrationis* ut apud Cic. in Topicis. Nec strictius Rogationem Senatoriam saltem significat, quæ siebat ad Populum ut in §. 4. de I. N. G. & C. & propria est JCtorum atque sic Prætorum Edictis, SCto, Plebiscito, & aliis Juris Romani Speciebus contradistinguitur: sed in generaliori & lata significatione pro omnibus partibus juris tam scripti quam non scripti tam communis quam localis à nobis accipitur. Licet accurate loquendo Lex & Jus eadem non sint, sed re ipsâ ut latius & strictus, Genus & Species differant.

## TH. XXII.

Atque in hac significatione Definitio principii nostri unde deducenda moralitas contra promissionem juratam ab aliis alia assertur, quas magis populares & rhetoricas descriptiones quam dialecticas & accuratas definitiones appellat Rittershus. ad d. §. 4. Inst. de J. N. G. & C. Alia enim est definitio Papiniani l. 1. ff. de LL. alia Demosthenis l. 2. pr. ff. Eod. alia Chrysippi d. l. 2. in fin. alia Ciceronis d. L. 2. de LL. alia Gellii ex Capitone Libr. 10. Cap. 10. ubi etiam Plebiscitum complectitur. Nobis videtur esse norma à certo quodam principio ad actiones humanas, adeoque etiam ad exceptiones contra promissionem juratam, ad id quod justum est dirigendas, præscripta.

## TH. XXIII.

Quæ definitio constat genere & differentia specifica. Genus est *Norma*, quæ nihil aliud est, quam regula, seu men-

mensura, cui respondere & convenire aliud debet. Sicque Genus semper latius est Definitio: omnis enim lex est talis rerum agendarum regula, non contra. Differentia specifica est in Efficiente, Objecto & fine. Efficientis est certū principiū, quod in genere alterius origo dicitur, & communiter dividitur in Causale, & non causale. Illud vel internum est, Materia & Forma; vel externum: ut efficientis & finis. Hoc vero vel Cognitionis Primum & Secundum, vel Numeri & Ordinis, vel Morale afferit. Ad quas Principiorum divisiones plerasque quaslibet leges referre solent.

## TH. XXIV.

Principium supponimus morale, quod agit svadendo, dissvidendo, jubendo, vetando, permittendo; absque actione quadam physica. Ut sic Principium Efficientis coincidat cum causa efficiente ad distinctionem reliquarum causarum; quæ omnes sunt principia reali aliquid in fluxu producentia. Quamvis in genere omnes cause propriæ tantum rerum naturalium sint, per analogiam autem in rebus moralibus traduntur ad similitudinem naturalium; ita, ut nihil aliud inferant, quam impulsivæ; quia principio morali effectum quendam moralem producunt, atq; svadendo l. 1. C. de R. C. dissvidendo §. 10. Inst. de Nupt. jubendo, exemplo XII. Tabb. §. 1. Verb. abstinendum est Inst. de Nupt. & passim in Codice, ac deniq; vel simpliciter l. 5. ff. de Testam. & qui testam. fac. poss. vel cum singulare indulgentia l. 26. C. de Usur. l. 10. §. 4. ff. de Minor. l. 1. C. de Jur. & Fact. Ignor. vel cum toedio, dissimulatione & tolerantia in tit. de Concub. l. 7. §. 4. ff. de Fact. permittendo absolvuntur,

Estque hoc Principium Efficiens vel *dependens* vel  
*independens* seu παράγοντα primum ex infinito apparet, & omnia movens, Deus, qui homines, postquam fraude mali Daemonis seducti vim intelligendi excellentissimam & perfectionem voluntatis amiserant, per naturales motus atque stimulos conscientia & dictamen rectae rationis sui officii monere voluit, ad coercendum libertatis & arbitrij in quo conditi erant abusum, & licentia terminos statuendos; cum antea, licet non confirmati essent in statu isto, sed in perfectionis hujus ad summum gradum, cuius creatura talis capax est, evectio, vid. Beermann. *Doct. Moral. Cap. 4. §. 9. in fin.* tamen ob summam illam intellectus & voluntatis perfectionem congrua atque adversa nostra natura facile perspicientes ultro & citra legem illa observarent, haec omittent. *Dependens* proximum omnium legum existit Ratio, qua mediante magistratus leges inducit, subditus recipit, & sine qua nec vivere nec subsistere lex potest; cum sit anima legis. *l. 16. de LL. add. l. 11. eod.* ubi dicit Iustus: *Quod in his quæ contra rationem juris constituta sunt, non possimus Juris regulam sequi, & quod jus singulare contra tenorem rationis introductum sit.* Cum enim ratio causa sit, ut omnes illi, quibus lex data est, huic obligentur; si accidit, ut aliquis aut casus quidam excipiatur; legeq; quæ tamen omnibus simul lata est, non teneatur: tollitur hic causa legis: & itaque in hoc ipso contra rationem juris aliquid constitutum est: quod enim contra tenorem rationis sit, hoc est, causam, cuius vi lex est; jus illud non potest esse, nisi singulare: & quia singulare est, contra regulam juris, non potest in hoc regulam juris sequi, alias enim ratio legis & consequenter lex

lex ipsa tolleretur : nec amplius dici posset , illam contra  
juris rationem esse receptam , quippe cuius nulla constitu-  
tio , & hinc nec exemtio esset .

## TH. XXVI.

Finis legis nostræ est id quod justum est . Quod ulti-  
mò tendit Principium ut omnem Legem & hinc actionem  
efficiat justam & bonam . Non quidem diffitemur , dari  
etiam leges injustas : cum non tantum in ipsis scripturis  
Legum iniquarum *Jef. io. vers. 1.* mentio fiat ; sed etiam  
si Diaboli post lapsum in suos sibique operatos divini-  
tus indultam potestatem spectamus fortassis diabolicas  
plane leges in medium producere licet , qualis sagis &  
magia deditis , alijsque malo ðemoni devotis positæ repe-  
riuntur . Quod pertinent simul Leges omnes gentibus  
olim & hodie in orientali plaga Idololatris præscriptæ .  
Quam enim severis legibus cultores suos contineat in  
officio execrabilis humani generis hostis , quam horren-  
dum ðemonum in Sinenses ac Japonenses imperium , re-  
centiores præprimis historiarum Scriptores attestantur .  
*Did. Descript. Regni Japonensi.* à Christoph. Arnaldo *Edit.*  
p. 504. Erasmi Francisci *Geschicht. Kunst und Sitten-Spie-*  
*gel ausländischer Völker Libr. 3. Cap. 5.* Lex justa tamen  
maxime propriè lex est , solaque de jure obligandi vim ha-  
bet , quam lex injusta sibi tantum vindicat de facto . Imò  
lex , si non absolute semper ; secundum intentionem  
duritatæ ad minimum & mentis conceptum pro modulo  
rerum & personarum legibus dirigendarum bona & justa  
dicenda : cum nihil appetatur nisi sub ratione boni , ut  
supra thesi 14. deducimus .

## TH. XXVII.

Nunc porrò expediendum quod (i.) Exceptiones

103 22. 25

contra Promissionem juratam sint normatum seu regulatum quoddam ut ita loquamur, & propterea opus habet ant regula seu norma, ad quam dirigantur, (2.) quod Leges illam normam Exceptionum nostrarum constituant, donec (3.) quænam leges harum Exceptionum normam absolvant, plenius indagatur.

TH. XXXIX.

Quin Morales hominum Actus ad certam normam instituantur, nemo unquam dubitavit: Objectum enim rei cuiuscunque in genere est, in quod quis vult finem inducere; omnes Actiones autem humanæ ad iustitiam conformanda, quatenus scilicet ab homine, ut homine, seu agente libero & rationali, non autem à solo appetitu sensitivo motuque Physico proficiuntur. Hinc Gajus omne Jus ad hominem refert L. 9. d. 3. & 7. Cum itaque Exceptiones nostræ actionem moralē non tantum in latitudine sua, quatenus accipitur moralitas pro Actionis libertate, seu contrarietatis seu contradictionis, ut ex Metaphysicis notum, sed etiam in restrictione ad bonitatem aut malitiam inferant, [habent enim respectum tūm ad voluntatem, à quā ut principio dependent, tūm ad ea, circa quæ versantur. Priori respectu involvunt Actionem liberam, in quantum nimirum à libera hominis voluntate vel elicit vel imperatè proficiuntur; posteriori ratione respiciunt Objectum, Finem, & circumstantias alias.] Hinc primum illud, nimirum, quod Exceptiones nostræ regulatum seu normatum dici mereantur, vel ex ipsa earundem natura hac ratione probatum sufficiat. Regulatum enim nihil aliud est, quam illud, quod respectum habet ad regulam, vel quod ejusmodi est naturæ, ut requirat regulam quandam, secundum quam Judicium de eō institui verè posit.

TH.

Quod autem hæc norma & Regula Exceptionum contra promissionem juratam ipsa lege determinetur nulla difficultate probatur (1.) ex ipsa Legis natura, quæ omnino non una Vice per regulam definitur. Crisippus summae stoicæ sapientiae philosophus definit eandem L. 2. de LL. per Regulam justorum & injustorum, Grotius per Regulam Actuum moralium, Pufendorf per Regulam honesti vel turpis. Quibus suffragantur ex Patribus Theologis & Philosophis alii complures. Quin imò Lex sapientius pro quavis norma, ad quam aliquid agimus, accipitur. Ut, cum Cicero lib. 3. de Orat. difficilior esse ait, oratione uti, quam versibus, quod in his quædam certa & definita Lex sit, quam sequi oporteat. Et Horat. lib. 4. Carm. Od. 2.

Pindarus

*Seu per audaces nova Dityrambos*

*Verba devolvit, numerisque fertur*

*Lege solutis.*

Probatur (2.) ex similitudine regularum Naturæ & (3.) Artis, vel denique (4.) ex comparatione *boni* in Philosophia practica, cum *vero* in Philosophia theoretica.

Uti enim ad bonitatem & malitiam naturalem Actus naturalis æstimandam requiritur mensura aliqua, secundum quam de perfectionibus naturalibus adesse debitis, aut privatione earum, tanquam secundum legem; non minus ac omnis operatio artificialis seu effectiore quirit aliquam normam, secundum quam opus effici non saltem, sed etiam Effectum examinari debet, an bonum an malum, sit artificialiter, quæ norma vocatur Regula Artis; ita quo-

quoque Exceptio moraliter bona vel mala requirit regulam aliquam, cuius subsidio moralitas ejus perspici & accuratè dijudicari possit. Quamvis norma in aliis rebus specialibus indigitetur vocabulis: Ut in Mathematicis sic Circinus, in Geometria linea, in optica tubus opticus, in Fabrili perpendicularum, & in coeteris mensurationibus ulna, cubitus, pertica & si quæ alia. Et sic actiones morales justæ appellantur, quatenus cum præscripto legis convenienti, ut opera manu facta, quæque ad artificis præscriptum quadrant, vel quævis alia quibus nihil deest requisitorum ad tuendum nomen justa vocari probata latinitatis authores docent. Inde leguntur passim justa magnitudo, justum pretium, justum volumen, justum tempus &c. quibus omnibus debitam quantitatem aut numerum quo normæ instar sese habent, rebus istis inesse significatur. Normam enim dicimus, ad quam aliquid dirigitur & conformatur. Qua ratione norma dicitur, ad quam artificiosè Equs tractatur, ut nunc alternò gressu crura explicet molliter, nunc præstet. Quam ex Galorum Poëtis non nemo ita canit:

- - - - *Qua flectitur audit habenas,  
Et promtam exhaurit virgâ moderante palverem,  
Volvitur in gyrum, curvosque recolligit orbes,  
Consistit nutu, cursu volat.*

TH. XXX.

Sicut insuper in Philosophia theoretica, quando Res cognoscibiles sunt vestigandæ, opus habemus mensura aliqua, cuius ope de veritate & falsitate Rei certi esse queamus alias enim dubii semper hærebimus, nec verum si nem

nem unquam obtinebimus , ita quoque de bono & malo  
in Philosophia practica res se haberet. Quin id affirmare  
non dubitamus, majus omnino quam aliunde ex Actionis  
malæ cognitione doctrinæ nostræ Lumen affundi: cum  
malitia moralis, quod largiuntur omnes, formaliter quan-  
dam inferat disformitatem, & recessum ; omnis autem dif-  
formitas est respectiva, & regulam quandam innuit, à quā  
fit illa disformitas. Prout item omnes disciplinæ sive ma-  
iores, sive minores, sive instrumentales , quarum finis est  
operatio, vitium pro objecto habent : Theologia nempe  
vitium anima , medicina vitium corporis, Ethica vitium  
morum communium, œconomia vitium morum œcono-  
micorum, politica vitium morum politicorum, Gramma-  
tica vitium Orationis, Logica vitium rationis , seu trium  
mentis operationum, singula singulis ad id idoneis regu-  
lis ac mensuris emendantur & ad sigularem cuiuscunque  
finem diriguntur, sic pariter & à regula quadam seu nor-  
ma actiones moraliter vitiosæ in republica ad justum re-  
ducenda.

## TH. XXXII.

Regula hæc nulla potest esse alia, quam Lex: quia malum  
ita penitus pendet à lege , ut, si nulla esset Lex , nullum  
etiam esset malum. Nam ubi nulla Lex, ibi nulla disfor-  
mitas, ibi nulla transgressio, teste ipso Apostol. Rom. 4. v. 15.  
& per consequens, nulla malitia. Quod ulterius, illustra-  
tur ex dicto Pauli ad Rom. 17. vers. 17. ubi dicit: *ne sciebam concupiscentiam, nisi Lex dixisset: non concupisces.* Per  
Legem enim est Cognitio peccati Rom. 3. vers. 20. Et spe-  
ciatim ex definitione peccati, quam proponit Job, 1. Epist.  
3. vers. 4. quando per *avouias* id ipsum describit, quem  
sequitur Augustinus contra Faust. L. 12, C. 27. cum dicit

D

Pegn

¶ 26. ¶

*Peccatum esse dictum, factum, vel concupitum contra Legem.*  
Si itaque peccatum seu malum morale Theologicum est  
*evopia*, bonum morale theologicum erit *civicia* vel *evropia*,  
& in tantum laudandum in quantum cum lege divina mo-  
rali tanquam norma & mensura sua consentit. Cur ergo non similiter judicemus de bono & malo morali phi-  
losophico & juridico? Quid queso obstat dicere quiddita-  
tem hujus in aberratione à lege illius in convenientia cum  
Lege tanquam norma & regula sua consistere.

TH. XXXIII.

Quamprimum itaque se offert Exceptio quædam contra  
promissionem juratam, voluntas quæ quidem est proximū  
agendi principium; at cœca, ut dici solet, potentia, non po-  
test ex se malam à bono dignoscere, & ideoque nec ipsa si-  
bi Lex esse potest, sed ratio inquisitiva mox ad conscienciam  
recurrat, ejusque dictamen exposcit: cuius munus  
proprium est, Exceptionem istam examinari subjcicere & hoc  
facto, num sit opponenda, an omittenda, judicium ferre,  
atque pro iudicio lato voluntati dictare, i.e. libero arbitrio  
eligendam vel non eligendam proponere. Ne verò con-  
scientia in isto suo Examine iudicio & dictamine aberret,  
nec voluntatem coecam ipsa similiter errans seducat, cer-  
tam quandam normam & Legem oportet existere, ad  
quam institui posuit Examen.

TH. XXXIV.

Legis autem hujus ita in genere considerata Philoso-  
pho ex subjecti consideratione occasio dividenda subnata  
est. Contemplatur enim hominem velut sui Arbitrii,  
nec alieno arbitrio ac potestate subjectus in Civitate, Socie-  
tate illa perfectissima, vivit; vel ut à Domini, Mariti, Pa-  
trisfamilias autoritate Actionum suarum libertas depen-  
det.

det. Quod liberis ipsis hominibus commune est jus politicum, & à Civitate Civile, alterum Oeconomicum vocat, nec simpliciter; sed *ratiōne iuris* appellazione dignatur, *Libr. 5. ad Nicom. c. 6.* Nomine Juris Civilis autem non ut Jcti, Jus illud quod in Civitate quadam à superiori peculiariter constitutum, atque Juri Naturae & Generum contradistinguitur, intelligit, sed omnia jura continent, quibus homines in Civitatibus inter se utuntur, adeoque illud in *naturale & legitimū* subdistingvit. Nos, cum Thomasio *Tab. Etb. 25. de Jure, per legitimū intellegimus Voluntarium*, atque sic dividimus Legem in *naturalem & voluntariam*, quam iterum subdividimus in *Gentium & Civilem*. Sed cum temporis ratio coetera jam annexere non permittat, illa commodiori occasione superaddenda reservo. Interim Deo T. O. M. pro præstito suo auxilio refero gratias decentes, insuper imploras, ut quoque futuras Actiones quam clementissimè secundet, quò vergant in sui sanctissimi nominis gloriam, proximi incrementum & proprium emolumenntum. Te verò L. B. ut hunc laborem amico Animo perlegas, ac modestè de eo sentias, obnoxie rogo.

SOLI DEO GLORIA.




COR-

## COROLLARIA.

- I. Testamentum in quo fœmina simulata Virum testis est adhibita, ipso Jure validum est.
- II. Approbatio testamenti à filio præterito non prejudicat reliquis fratribus in minore parte institutis.
- III. Filius licet levaverit manus adversus parentes, non tamen potest exhæredari.
- IV. Impensa in studia factæ in collatione bonorum quandoque conferuntur.
- V. Prælatus occulè excommunicatus retinet jurisdictionem quamdiu toleratur per Ecclesiam.
- VI. Heres ex parte, licet omnia bona hereditaria possideat, non potest in solidum conveniri.
- VII. Dictum Agnonizantis ad torturam sufficit.
- VIII. Æstimatio rei dotalis non semper involvit alienandi facultatem.
- IX. Verba ad virginem scripta: Mein allerschönstes Kind! du bist meine einzige Freude auf dieser Welt! Ich kan dich nicht lassen; non sunt sufficientia ad inducendam obligationem sponsaliorum.
- X. Responso hac virginis ad alicujus juvenis interrogacionem: Wolt ihr mich haben? Ists auch Fragens werth? sufficiens est sponsalibus ineundis

- XI. Vitium Anthoris non nocet successori, admini-  
culo Authoris non utenti.
- XII. Vindicantes necem parentum vel liberorum  
non tenentur de calumnia.
- XIII. Ex imperfecto testamento nec Princeps aliquid  
capere potest.
- XIV. Coram partibus corpore tantum praesentibus  
sententia ferri nequit.
- XV. Nuntio jurato, ut uni testi, quando mandatum  
ex officio exequitur, credendum.





**ULB Halle**  
001 608 150

3




56.

VDA8

VDA7





Q. F. F. Q. S.  
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

# DE EO

QVOD JUSTUM EST  
CIRCA EXCEPTIONES CON-  
TRA PROMISSIONEM JURATAM,

QVAM  
DIVIMA AUXILIANTE GRATIA  
IN ILLUSTRI OMNIVM SCIENTIARVM  
UNIVERSITATE ERFURTENS  
AUTORITATE & CONSENSU  
INCLYTI JURECONSULTORVM ORDINIS

PRO LICENTIA,

*Summos in Ulroquè Jure Honores & Privilegia  
Doctoralia rite capessendi,*

SUB PRÆSIDIO

*Prenobilis, Consultissimi ac Excellentissimi,  
DOMINI*

**JOHANNIS PHILIPPI**  
*& streif / JCI.*

PER ANTIQVÆ HUJUS UNIVERSITATIS RECTO-  
RIS MAGNIFICI, ELECTORAL. REGIMINIS CON-  
SILIARI, nec non FACULTATIS JURIDICÆ

h. t. DECANI, &c &c e.

Eruditis publicè examinandam sicut

**Samuel Richfer / Vrat: Siles: Pract: Jurat:**

AUTHOR & RESPONDENS

Ad diem 19. Octobr. A. O. R. 1702.

ERFORDIAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

